



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dissertatio Theologica, Ad Mentem S. P. Avgvstini, De
Radice Intolerabilivm, scandalosarum, & in praxi
perniciosarum propositionum, à summis Pontificibus
Alexandro VII, & Innocentio XI. damnatarum**

Schweitzer, Johannes

Coloniæ Agrippinæ, 1679

Quid de procuratione abortus ante animationem foetus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38917

Doctrina S. Augustini opposita.

Nulla mulier potationes ad abortum accipiat, nec filios aut conceptos, aut jam natos, occidat: quia quacunque hoc fecerit, ante tribunal Christi sciat se eorum causam, quos occiderit, esse daturam. Sed nec alias diabolicas potationes debent mulieres accipere (quibus nempe procuratur sterilitas) mulier autem quacunque fecerit hoc, **PER QUOD JAM NON POSSIT CONCIPERE, QUANTOSCUNQUE PARERE POTERAT, TANTORUM HOMICIDIORUM REAM SE ESSE COGNOSCAT.** serm. 244. de temp.

Aliquando eousque pervenit hac libidinosa crudelitas, vel libido crudelis, ut etiam sterilitatis venena procuret; & si nihil valuerit, conceptos foetus aliquo modo intra viscera extinguat ac fundat, **VOLENDO SUAM PROLEM PRIUS INTERIRE, QUAM VIVERE;** aut si in utero jam vivebat, occidi, antequam nasci. Prorsus si ambo tales sunt, conjuges non sunt. Et si ab initio tales fuerunt, non sibi per connubium, sed per stuprum potius convenerunt. Si autem non ambo sunt tales, audeo dicere, aut illa est quodam modo meretrix mariti, aut ille adulter uxoris. lib. 1. de nupt. & concup. c. 15.

Et lib. 5. cont. Julian. c. 11. Dubitat S. Pater, an majus damnum inferat, qui expellit foetum inanimatum, & facit ut homo non sit, quam qui expellit animatum, estque causa damnationis ejus, quia non audet dicere, quod eis, ut nulli essent, quam ut ibi essent (id est in damnatione levissima) potius expediret.

F 5

Specia-

Specialiter S. Pater pronuntiat contra trigessimam quintam damnatam, in Ezechri: c. 86. his verbis; *Negare vixisse puerperia, quae propterea membratim exsecantur, ut ejiciantur ex uteris praegnantium, ne matres quoque, si mortua ibi relinquuntur, occidant, impudentia nimia videtur.*

Dices, S. Patrem Augustinum ibi non loqui de vita rationali, sed sensitiva. Respondeo negando assumptum. Contrarium enim patet ex ibidem subjectis verbis: *Ex quo autem incipit homo vivere, ex illo utique jam mori potest: mortuus vero, ubicunque illi mors potuit evenire, quomodo ad resurrectionem non pertineat mortuorum, reperire non possum, sed nemo potest ad resurrectionem mortuorum pertinere, qui non vixit vitâ rationali, ergo S. Pater loquitur de vita rationali.*

Trigesima-Sexta.

Permissum est surari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

Trigesima-Septima.

Famuli & samulae domesticae possunt occultè heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.

Trigesima Octava.

Non tenetur quis sub poena peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcunque sit magna summa totalis.

Trigesima-Nona.

Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

Vige-